

esse aedificandam in insula Montis Regalis quae tunc erat deserta ac crudelissimis barbarorum incursibus undigne patebat, sed etiam seipsum fore praecipuum tanti operis instrumentum. Contra omnem humanam spem adjuvantibus nonnullis egregiae charitatis viris et mulieribus, res optime successit; et Marianopolis vix nota piae sollicitudini filiorum Olerii commissa fuit, qui deinceps pro ejus spirituali imo et temporali prosperitate se suaque libenter impendere non cessaverint. Caeterum, ad omne opus bonum parati, zelo priorum Quebecentium episcoporum cooperantes, evangellum inter silvicolas praedicaverunt, quos mutatos e lupis in agnos et in opidula congregatos paterno fovebant affectu; plures parochias a seipsis fundatas et nonnullas alias administraverunt; colonos apud longinquas Acadiae oras degentes admirabilem fervorem perducere, et postea calamitatibus infandis abrutos christiana patientia armare efficaciter adlaboraverunt.

Paulatim tamen Marianopoli, tanquam grano sinapis in proceram arborem crescente, Olerii institutum peculiari suae vocationis fini vacare potuit, promovens, radicis instar, ecclesiasticam educationem in minori, medio et majori Seminario ad quod Clerici ex trigenta vel quadragenta dioecesibus confluunt, et per Collegii Canadensis in Alma Urbe creationem, discipulis electis thesauros scientiae et pietatis cumulandi suppeditans opportunitatem.

Quum ergo Deus per Olerium fidelissimum cooperatore suum tot et tanta bona Regioni Canadensi dignatus fuerit impertire, Nos debitum gratitudinis quod Nobis incumbit laetanter profientes, totis votis optamus felicem illam diem illuscere, qua insignem Ecclesiarum nostrarum benefactorem honorare cultu publico, Nobis Nostrisque gregibus tandem licebit.